



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1786**

**VD18 90119355**

§. 67. Hujus Controversiæ exitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)



Sæc. XVIII. spensum Babilonensem Dominicum  
A. C. 1740. Mariam Varletum, qui Meindartum  
 inauguravit, proin hanc Pontificis  
 sententiam a nullo Stradianæ Insulæ  
 incola in dubium vocari vel tanquam  
 injustam traduci posse.

III. Interrogabat Author, utrum  
 Strandiani Participantes, ut Baesro-  
 dium ab Episcopo Ultrajectino intra-  
 sum acceptarent, adstringi valeant?  
 ad hanc quæstionem negando respon-  
 dit, eoquod Episcopus anathemati  
 obnoxius esset, & plurima suffragia  
 eorum, qui cum jure Patronatus con-  
 currerant, ad ejus acceptationem  
 nullum adstringere possent. His præ-  
 missis Auctor oppositæ partis argu-  
 menta diluit, petiitque, ut Regium  
 mandatum omnino revocaretur.

§. LXVII.

*Hujus controversiæ exitus.*

ENIMVERO Zizcherus Patrum scripto  
 respondere conatus eis objectabat,  
 quod Baesrodi installationem impu-  
 gnassent, punctum tamen prætensæ  
 extensionis cultus Catholici (quod  
 tamen rei summa esset) silentio præ-  
 fissent, cum tamen hujus electione  
 Re-



Religionis exercitium nullatenus tur- Sæc. XVIII.  
 baretur: ipsos quoque Ultrajectino E- A. C. 1740.  
 piscopo jurisdictionem afferuisse, cum  
 ab eo quondam novos Missionarios sub-  
 mitti petiissent. Postea ad propositas  
 quæstiones responsurus affirmat I. Ul-  
 trajectensis Capituli jura, & inde depen-  
 dentem jurisdictionem a deductionis Au-  
 ctore ad tale forum trahi, ad quod ta-  
 men non spectarent, horum autem  
 valorem jam solide satis in publicis  
 scriptis comprobatum fuisse II. dato e-  
 tiam, Baesrodi electionem fuisse vitio-  
 sam, inde tamen non inferri, quod  
 Patres privatum cultum ad publicum  
 extendendi jus habuerint: de cetero  
 non negari, Strandianos Catholicos  
 plenam erga Pontificem submissionem  
 profiteri, nec tamen ipsam Ultrajecten-  
 sem Ecclesiam in ejusmodi obsequio  
 remissiores esse, potius ergo demon-  
 strandum fuisse, quod omnes Catholi-  
 ci populi & Status decisionibus Ponti-  
 ficis æquis vel iniquis, excommunica-  
 tione gravidis vel non, parte vel audita  
 vel non audita factis cæco modo defe-  
 rant, nec illas reformationi obnoxias  
 credant, saltem in Galliis firmam esse  
 legem: *non irreformabile esse NB. absque  
 accedente Ecclesie consensu, summi Ponti-  
 ficis judicium, hancque sententiam sine*



Sæc. XVIII. ulla controversia a primogenito Eccle-  
 A. C. 1740. siæ Filio, Rege Christianissimo esse con-  
 firmatam; minus ergo sperari posse,  
 hujus Adversariorum argumenti, sci-  
 licet, de *anathemate contra Ultrajecten-  
 sem Episcopum a Papa vibrato non esse  
 controversendum*, in Protestantis Princi-  
 pis Curia rationem esse habendam illi.  
 hanc quæstionem non solis Patribus  
 sed toti Strandianorum Catholicorum  
 communitati esse propriam cunctaque  
 ibidem objecta nil aliud esse, quam pe-  
 titiones ejus, quod est in principio &c.  
 Quam infirma fuerint hæc responsa eo-  
 rum, qui se Catholicos exterius profi-  
 tebantur, nemo est, qui non primo ob-  
 titutu perspiciat: noverant tamen hi  
 Jansenistæ tantum efficere, ut anno  
 hujus sæculi quadragesimo secundo die  
 vigesima prima Junii a Gottorpiensi Re-  
 gis Curia pronuntiaretur, compensatis  
 expensis Regium mandatum poenale  
 anno hujus sæculi quadragesimo die vi-  
 gesima septima Junii emanatum  
 omnino executioni esse  
 dandum.



INDEX.